

agitare ad se refrigerandum debebat, quasi revera ardentem flammam gereret in pectore. Ea vero alia non erat, nisi incendium Spiritus sancti, uti fassus est Friderico cardinali Borromeo.

V. Si consideretur causa hujus donationis quæ potissimum triplex est. Prima, Dei charitas et donitas, quæ sicut dedit Christum nobis redemptorem, ita quoque addidit Spiritum sanctificationem. Quod ergo de Christo legimus in hodierno evangelio: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, hoc idem de Spiritu sancto dicere poterat Dominus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Spiritum suum sanctum daret*. Nullis ergo meritis nostris, sed ex mera gratia donum hoc accepimus. Quis autem nescit doni præstantiam augeri ex eo, quod mere sit gratuitum? Secunda, Christi merita quibus donum hoc nobis impetravit; promiserat enim: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Tertia, nostra miseria et indigentia. Si enim Christus post ascensum in cælum solos et desolatos nos reliquisset, rursus in priores tenebras et laqueos demonis certo citius incidissemus. Ergo Christus genuit nos sua passione, Spiritus sanctus velut nutrix educat et nutrit: Christus velut magister docuit nos viam salutis, Spiritus sanctus velut pædagogus ducit nos ad scholam et impellit ad discendum: Christus templum extruxit, quod est fidelis quisque, Spiritus sanctus id inibat et sanctificat: Christus animas nostras finxit et exsculpsit, Spiritus sanctus eas vivis coloribus depingit: Christus navi nos imposuit qua ad cælum veheremur, Spiritus sanctus velut ventus navim hanc impellit, ut ad salutis portum veniamus, quo nos per afflatum suum perficere dignetur.

## CONCIO II.

CUR IN LINGUIS IGNEIS APPARUERIT SPIRITUS SANCTUS.

I. Ad designandam naturam Spiritus s. — II. Ad indicandam mundi renovationem per linguas apostolorum faciendam. — III. Ad denotandam evangelii virtutem. — IV. Ad designandum apostolos prædicatores. — V. Ut linguam hominum reformaret.

### THEMA.

*Lux venit in mundum.* Joann. III.

Finxere poetæ, gentilium theologi, Prometheus Japeti filium, a providentia sic vocatum, aliquando hominem e luto fecisse, sed inanimatum; ejus opus cum Minerva esset contemplata, promisit se de cælestibus donis aliquid operi ejus adjuncturum. Elevatus igitur a Minerva Prometheus ad cælum, ut ibi, quid operi

suo commodum esset, dispiceret, vidit flammatum solis eurrum omnia vegetantem, extensaque ad rotas ferula, ignem inde accendit, quem in terras delatum, in hominis quem finxerat, pectore condidit, atque ita vivum, loquentem, ac spirantem reddidit. Hanc fabulam dum recenseo, dicere possunt de Christo Domino, quod de Abraham dixit S. Ambrosius, l. 1. de Abraham, c. II. « Magnus plane (Dominus) quem votis suis philosophia non potuit æquare: denique minus est, quod illa finxit, quam quod iste gessit, majorque ambizioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. » Emmevero Christus verissimus noster Prometheus, postquam Ecclesiam suam prædicatione et passione reformasset, nec aliud superasset, quam ut illam vivificaret per efficacem applicationem doctrinæ et meritorum suorum, ideo a cælesti Patre assumptus in cælum inde dimisit ignem Spiritus s. qui in sinu Ecclesiæ conditus, eam vivificaret et in sortem filiorum Dei reponeret, velut opus perfectissimum, adeoque cælo dignum. Hoc ultimum operis sui complementum vehementer desiderabat Dominus, quando, Luc. XII. dixit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* « Terra enim (inquit S. Gregorius, hom. XXX. in evang.) vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infirmas in se cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculeantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu Sancti Spiritus corda carnalia incendit. Et terra ardet, cum cor carnale, in suis pravis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, et incenditur ad amorem Dei. » Illud nunc videndum restat, cur in linguas igneis descenderit Spiritus sanctus.

I. Ad designandam naturam Spiritus sancti, et primo, quod sit verus Deus, Patri et Filio consubstantialis; siquidem Dei insigne est ignis velut sublimissimum, purissimum, fortissimum elementum, ut ostendit S. Dionysius, l. de divinis nom. Unde Deut. IV. *Deus noster ignis consumens est*, ait Moyses: rursus: *Sicut ab igne manat lux et calor, ita a Patre Filius et Spiritus s.* ait Damascenus, l. de fide, c. IX.

Secundo, quod sit tertia in Trinitate Persona. Lingua, quia verbum profert, Patrem designat: verbum quod profertur Filium; ignis in lingua Spiritum sanctum. Primo, quia ignis typus est amoris in ss. litteris, Spiritus sanctus autem est amor, a Patre et Filio procedens per amorem. Secundo, quia ut ignis latet in multis rebus absconditus, velut in scilicet et ossibus leonum, unde non nisi attritione vel allisione efficitur; sic occulto modo Spiritus sanctus occupat et inhabitat hominum corda, e quibus tunc maxime elucet, cum illi persecutionibus atteruntur.

II. Ad significandum, quod apostoli per linguas novas mundum essent incensuri igne dilectionis Dei, et purgaturi a vitiorum et errorum tenebris a spurcitiis. S. Dominici mater grævida videbatur sibi per quietem continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem, ad amorem et cultum Dei orbem terrarum incenderet, ut in ejus vita. Et quid aliud significabat fax ardentis linguæ supra caput apostolorum? Quando aliquis belli dux hostem vult subigere, tunc mittit in ejus terram milites incendiarios, qui passim oppidis et pagis flammam injiciant; hinc enim terribiles hostes franguntur et tandem subjugantur. Simili, sed feliciori invento aggressus est mundum Christus, ut rebellem sibi subiceret: misit enim incendiarios apostolos linguas igneis instructos, ut orbi faces doctrinæ christianæ injicerent: Petrum ablegavit Romam ut Italiam accenderet, Jacobum in Hispaniam, Andream in Scythiam et Achaïam, Bertholomæum in Armeniam, Thomam in Indiam, Matthæum in Æthiopiam, etc. de quibus intelligere possumus id Psalm. CIII. *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos (apostolos) ignem urentem*. Quæ legatio ita fuit efficax ut intra breve tempus totus pene mundus in plerisque nationibus arderet, non solum extingui hic ignis non potuit, sed etiam illi sæpe qui extinguere eum conabantur, eo correpti et ipsi ardere ac Christum prædicare cœperunt, veluti prætores provinciarum, judices, carnifices. Et licet passim hi incendiarii ad necem quærentur ac caperentur, multo tamen magis incendium grassabatur, cujus ignis vehementia præfigurata est in spiritu illo, quo repleti prophetabant Samuel et David cum aliis prophetis, 1. Reg. XIX. Cum enim misisset Saul lictores illos, ut caperent Davidem, cœperunt et ipsi prophetare, quod secundo et tertio factum. Imo cum ad extremum et ipse abiisset illuc, factus est etiam super eum spiritus Domini, cœpitque et ipsi prophetare, ita ut proverbium exiret: *Numquid et Saul inter prophetas?* Hoc idem evenit Saulo nostro, qui postea Paulus, dum Damascus pergeret, ligaturus Christianos et ducturus Jerosolymam, qui in via hoc igne et spiritu correptus, factus et ipse propheta et Christianus est, quando circumfulsit eum lux de cælo. Post triduum enim (quo cæcus erat): *Continuo intravit synagogam, et prædicavit Jesum, quoniam hic est Filius Dei*; ita ut stuperent omnes et dicerent: *Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud?* Act. VII. Idipsum postea evenit pluribus aliis. Ignis includi nequit, sed omnia perrumpit. Ita loquente S. Stephano, coram principibus sacerdotum, non poterant illi resistere sapientiæ et Spiritui

qui loquebatur, Act. VI. Hoc nimirum est quod promiserat Dominus apostolis, Luc. XXI. dicens: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. Hoc designabant igneæ linguæ, quia, ut ait Chrysostomus: *Ignis vehementiam gratiæ, quam vinci non possit, demonstravit*.

III. Ex S. Fulgentio, ad denotandum ipsum evangelium et legem, quam promulgaturi erant apostoli, plenam scilicet igne amoris divini, de qua Deut. XXXIII. dicitur: *In dextera ejus ignea lex*. Unde S. Bern. serm. 1. de pent. ait, missum in igneis linguis, Spiritum sanctum: *Ut legem igneam, ignea lingua loquerentur*. Ignea est lex Christi seu evangelium, quia ignem spirat amoris divini immensi et antea mundo inauditi. Quis enim explicet magnitudinem amoris Dei, quem exhibuit mundo, dum ejus gratia homo fieri, pati et occidi voluit, seque illi præterea in sacramento relinquere? Refert Holcot, in l. Sapientiæ, l. CXXIV. ex Giraldo, insulam in Hibernia olim fugitivam subito in mari detectam apparuisse, in quam cum nautæ vellent descendere, subito insula refugiens alio se transtulit, idque sæpius factum. Instructi ergo a quodam sene, quod ignis valeat contra phantasmata, ideoque sagitta ignita in insulam jacienda sit, fecere uti monebantur; mox insula restitit et habitari cœpit. Ejusmodi insula fuit mundus ante missionem Spiritus sancti; fugiebat enim a prophetis, quoties illi eam incendere et convertere ad Deum volebant; sed postquam ignita linguarum suarum jacula miserunt in eum apostoli, et immensum charitatis divinæ, mundo in Christo exhibitæ, prædicaverunt ignem: mox consistere cœpit mundus, et recipere evangelium. *Facta enim hac voce*, ait Lucas, cap. II. *convenit multitudo et mente confusa est, etc.* ex omnibus scilicet hominum nationibus, qui cum audissent concionem Petri factam: *Compuncti sunt corde, et dixerunt ad apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* Et baptizati sunt eo die ad tria millia. Ex eo tempore mundus accensus est igne charitatis erga Deum, ex ignitis illis evangelii jaculis, et expletum quod dudum Isaias prædixit, cap. LXIV. dicens: *Utinam dirumperes cælos et descenderes: a facie tua montes destuerent; sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni ut notum fieret nomen tuum*. Ante missionem hujus ignis, mundus obriguebat, nullus in Deum amor, nulla in proximo charitas vigeat; at postquam ignea Christi lex prædicata est per apostolos, tum non erat qui se absconderet a calore ejus, tum inceperunt dies caniculares Christianorum, in quibus tantus erat ardor amoris divini in Christianis, ut plurimi desertis ædibus et palatiis silvas, specus

et eremos petierint; alii omnibus sese fortunatum et facultatum suarum vestibis spoliarent; nonnulli etiam ipsa cute, uti Bartholomæus et infiniti alii martyres. Unde mirabile est valde, si nos adhuc frigeamus, et ad tantum amoris divini æstum non calefiamus.

IV. Ad designandum quales prædicatores futuri essent apostoli, quales etiam esse debeant cæteri, qui aliis prædicare vel præcipere et consulere decent: ut nimirum habeant linguas ignitas seu ardentis. Sane nisi ignitæ et ardentis fuissent apostolorum linguæ, hoc est, ignem Spiritus sancti in ipsis æstantem spirassent, nequaquam suffecissent ad mundum convertendum. Unde Ecclesia, in hymno hodie. «Ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit: verbis ut essent profui, et charitate fervidi. S. Greg. hom. XXX. super evang. ait: «In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes quos repleverit, ardentis pariter et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent; quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam et otiosus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris.» Sic Greg. intellexit hoc, oratorum princeps, qui l. II. de oratore dixit: *Ardeat orator si iudicem vult incendere.* Scribit Fulgositus, l. VII. c. III. de Euno et Barchochaba, qui dum magni quippiam præ manibus esset, ad quod populum etiam seditione commota vellent dictis efficacibus pertrahere, nucem sulphure et igne repletam in ore gestabant, et inter loquendum ignita verba profundebant ad terrorem. Multo efficacius persuadebit concionator, si linguam habuerit ardentem charitate et prævio bono exemplo. Cur enim Christus Dominus erat: *Potens in opere et sermone* (Luc. ult.) nisi quia: *Cæpit facere et docere?* Act. 1. Cur autem concionatores parum aut nihil efficiunt, nisi quia non fervent? Ut enim fulmen aquosum nihil accendit, sic talium adhortatio. Quod etiam sibi dictum velint magistratus et quicumque aliis præcipiunt, patresfamilias, domini, ludimoderatores, etc. Cur enim putatis linguas igneas super capita apostolorum apparuisse, nisi ut ostenderent ejusmodi ardentibus linguis prædita esse debere capita reipublicæ eujuscumque?

V. Videtur Spiritus sanctus in linguis igneis ideo etiam demitti in terram voluisse, ut quoniam ipse venit, quo recreator et reformator esset mundi, juxta id Ps. CIII. (*Emittes Spiritum tuum, et reabuntur, et renovabis faciem terræ*) linguam imprimis hominum reformaret, et quidem ob tres potissimum rationes, quas posuit S. Jacobus, in sua canonica, c. III. Primo, quia: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; potest etiam freno circumducere totum corpus, ait*

Jacobus. Secundo, quia: *Lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflamat rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna, id est, omnia opera et cursum totius vitæ depravat.* Tertio, quia: *Omnis natura bestiarum et volucrum et serpentum et cæterorum domantur, et domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest, ut idem apostolus dicto ait loco.* Multum igitur intererat, ut reformaretur lingua humana, quæ et tantum parit bonum, si bona sit; tantum malum, si mala, et tam difficile domatur. Jam vero ante fidei promulgationem depravatissima erat hominum lingua, quemadmodum et vita. Quid enim aliud loquebatur, quam quo homines pleni erant? *Etenim ex abundantia cordis os loquitur.* Accedit tunc hominibus quod Hebræis illis qui postquam uxores duxissent gentiles et Azotidas in similes, filii eorum pene omnino obliti erant linguam Hebraicam, et loquebantur magis Azoticæ, II. Esd. ult. Idipsum evenit generi humano, quod in idololatria genuit filios, qui nesciebant aliter quam impie et perverse loqui. Ideo per fidei prædicationem renovare voluit Spiritus sanctus linguas hominum, ut Dei laudes et honesta loqueretur: quod sane primi Christiani accuratè faciebant, dum loquebantur *magnalia Dei*; dum dies noctesque in Dei laude et colloquiis piis consumebant, ut ex Actis apparet; dum piaculum apud ipsos erat, peccata graviora vel nominare. Unde Eph. V. *Fornicatio et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* O felicia Christianorum tempora! Ea prædixit Sophon. c. III. Deus: *Tunc reddam populis labium electum.* Sed nunc iterum necesse foret demitti Spiritum sanctum ad linguarum nostrarum reformationem instituendam. Quid enim aliud quam gentilem et Azoticam loquuntur linguam, qui Deum, sanctos et sacramenta blasphemant? Nonne hoc est ethnicorum? Quid aliud, qui rixas et discordias seminant et detrahunt proximis? Nonne christianam et fraternam violant charitatem? Quid aliud, qui omnia dicta juramenti confirmant? Quis enim nescit Dominum dixisse: *Ego autem dico vobis omnino non jurare: sermo autem vester sit: Est, est, non, non,* Matth. V. Quid faciunt istæ linguæ, nisi ut turrim Babel, hoc est, ignominiam christiani nominis et æternæ confusionis extruant? Quis inflammavit et accendit has linguas, nisi ipsa gehenna, quod testatur Jacobus? *Flamma talis de inferis est,* ait Gillebertus, in eum Jacobi locum, *nam flamma quæ desursum est, pudica et pacifica est, bonis consentiens et bonos*

faciens. Lingua hæc ignea Ignitorum serpentum est, qui morsu incenderunt et necarunt Hebræos in deserto. Verum qui ab hujusmodi serpentibus admorsus est, aspiciat serpentem illum æneum, Christum inquam in cruce, ejusque exemplo disceat recte loqui: orare pro inimicis, consolari mæstos, orare et commendare se Deo, etc.

Quod si hæc non movent homines, terreat saltem lingua illa ignea epulonum in inferno. «Quid enim est, quod innuitur, (inquit D. Greg. hom. XL. in evang.) quia in tormentis positus dives, linguam suam refrigerari postulet, nisi quod is, qui convivando magis de loquacitate peccaverat, per retributionis justitiam in lingua atrocius ardebat?»

Inter alia signa, quæ fideles patraturi essent, dixit Dominus paulo ante ascensionem suam: *Linguis loquentur novis.* Verificemus quæso in nobis hanc Christi prædictionem, et ex hodierna die incipiamus loqui lingua nova Spiritus sancti: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei,* inquit S. Petrus, 1. Pet. IV. *ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

## CONCIO III.

## DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI.

I. Donum sapientiæ. — II. Donum scientiæ. — III. Donum consilii. — IV. Donum intellectus. — V. Donum pietatis. — VI. Donum fortitudinis. — VII. Donum timoris.

## THEMA

Vidi Spiritum descendantem quasi columbam de celo. Joan. 1.

Spiritus sanctus, auditores, non in specie ignis tantum, uti heri super discipulos Christi: verum etiam columbæ, uti alibi super ipsum Christum, a Joanne baptizatum, descendere visus est. Causam primam dat S. Aug. super Joan. quia in baptizatis requiritur columbæ simplicitas, ut absit dolus; in adultis vero fervor fidei et charitatis. Alteram dat S. Chrysostomus, apud D. Thom. III. p. q. XXXIX. art. VI. quia in baptismo mansuetudo requiritur columbæ ad delicta remittenda: sed ubi gratiam adepti sumus, restat iudicii tempus. Tertiam affert ven. Beda, Marci III. *Ideo inquit Spiritus sanctus super Salvatorem in specie columbæ apparet, quia non veniebat, ut per zelum peccata puniret, sed ut per mansuetudinem toleraret. In igne vero super simplices homines apparuit, ut eos ad puniendum in se peccata Spiritus fervor accenderet, quæ Deus per mansuetudinem vindicare parceret.* Quarta est, quia duo sunt primaria Spiritus sancti munia,

protegere et accendere. Quemadmodum ergo columna illa, quæ Hebræos duxit per desertum, de die fuit columna nubis, protegens eos ab æstu: de nocte columna ignis, illuminans et calefaciens, Num. IX. ita Spiritus sanctus velut nubes sua mansuetudine protegit et solatur homines; velut ignis suo lumine illuminat et fovet; velut columba prolificata ditat suis donis; velut ignis vero accendit ad amorem. Vidimus heri Spiritum sanctum in specie ignis; videamus illum hodie in specie columbæ communicantem nobis dona sua.

Dona Spiritus sancti nihil aliud sunt quam afflatus et impulsus ejus ad patranda rara et heroica maxime virtutum opera; quibus exercendis solæ virtutes etiam infusæ ordinariè non sufficiunt, requiritur præterea specialis motus et excitatio Spiritus sancti. Ea vero septem primaria (ad quæ revocanda sunt cætera) describit Isaïas, c. XL. collata Christo Domino. «Requiescet super eum Spiritus Domini, inquit, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis. Et replebit eum Spiritus timoris Domini.» Omnia hæc dona per columbam edoceri advertit S. Thom. III. q. XXXIX. art. V.

I. «Columba, inquit, secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre mergat se et evadat; quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam sancti secus Scripturæ Dominicæ fluenta visitant, ut incursum diaboli evadant.» Commendavit de hoc dono sponsa dilectum suum, Christum, Cant. V. dicens: *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.* In quem locum ita scribit D. Greg. «Sicuti columbæ juxta fluenta residere solent, ut volantium avium umbram in aqua videant, supra quam se projicientes, unguis rapacium sic effugiant; sic sancti viri in Scriptura sacra fraudes dæmonum prospiciunt, et ex descriptione quam vident, quasi ex umbra hostem cognoscunt. Denique, se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant, nisi quod ex responso Scripturarum audiunt, et quasi in aquam se projicientes hosti illudunt; quæ Scripturæ fluenta plenissima dicuntur, quia de quibuscumque scrupulis consilium quæritur: sine minoratione de omnibus ac plenum invenitur.» Fuit hoc donum imprimis et quidem eminentissime in Christo Domino, uti testatur sponsa; ipse enim omnes suas actiones ad normam sacræ Scripturæ instituit, eam crebro in ore habuit, et ad missionem cæteraque gesta sua comprobanda citavit; ea diabolus tentatorem convicit; ea se in cruce armavit et solatus est. Quid enim ea vox: *In manus tuas commendo spiritum meum,* nisi vox Ps. XXX. Quid illa,

*Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* nisi vox Psalmi XXI. Et forsitan tunc Dominus totum istum psalmum, de passione sua luculentissime scriptum, in cruce recitavit tacitus. Idem vero bonum tribuit sponsus suæ, Cant. 1. dicens: *Oculi tui columbarum.* Sunt ergo tales et sancti, qui cum Davide dicunt: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis,* Psalm. CXVIII. Ad hanc lucernam, ad has quas sedent continuo, et in iis contemplantur exempla sanctorum, doctrinam Spiritus sancti, dolos et laqueos dæmonum, quos eludunt et evadunt Scripturarum præsidio, siquidem: *Omnis Scriptura divinitus inspirata,* inquit apostol. II. Tim. III. *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Hinc S. Basilius, ep. 1. ad Greg. Nazianz. sacram Scripturam comparat officinæ apothecariæ, omni pharmacorum genere contra quoslibet morbos instructæ. *Si quis inquit, laborat concupiscentiæ, et castitatis est cupidus, historiam Joseph assidue legat, ex ea discet et hauriet pudicitiam amorem et spiritum: si quis impatiens patientiam desiderat, legat gesta S. Job: si quis fortitudinem cupit, legat acta Davidis: si quis mansuetudinem appetit, Mosen voleat et imitetur.* Ex hæc officina deprompsit sibi pharmaca S. Paula, de qua S. Hieronymus, in ejus epitaph. scribit: «*In periculis loquebatur Paula: Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me. Cum eversio totius patrimonii nuntiaretur, aiebat: Nudus exivi de utero matris. In crebra infirmitate: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem. In mœnore cantabat: Quare tristis es, anima mea? Spera in Deo. Cum nimio fervore virtutum nonnullis videtur insana: Theatrum, ait, facti sumus mundo, angelis et hominibus: nos stulti propter Christum, etc.* » Eum quoque in finem S. Cæcilia Christi evangelium assidue gestabat in pectore, quasi pyxidem aromatarum ad animæ præsidium. Inde perfectionem vitæ hausere Laurentius, Vincentius, Gregorius, Chrysostomus; imo omnes pene martyres, confessores, virgines.

II. *Columba meliora grana eligit, quod pertinet ad donum scientiæ, qua sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt,* inquit D. Thomas. Negligit columba deteriora grana, non sedet super cadavera (quemadmodum corvus,) uti patet de columba Noe. Ita qui hoc dono præditus est, cognoscit res temporales, ad salutem conducibiles, et modum illis utendi. Cicero, in Attico dixit: *Non esse vocandum sapientem eum, qui multa scit, legit, vel vidit: sed eum, qui bene uti potest iis, quæ scit.* Hoc autem docet hæc scien-

na. Deinde, e tribus illis bonis, honesto, jucundo, utili eligit honestum cæteris neglectis, utpote rationi convenientissimum, et solum honore dignum. Quare si quis suadeat ei rem quidem in se utilem, iniquam tamen et inhonestam (quale fuit consilium Themistoelis, de incendenda Græcorum navali statione, quo Athenienses toti Græciæ dominarentur: displicens Atheniensibus, quod utilissimum licet, iniquissimum tamen esset, teste Plut. in Aristide) nequaquam acquiescit. Non omnibus credit, nec audit, vel imitatur omnes, sed bonos. Serpens incantari se præsentens, aures ocludit, unam terræ admoventis, alteram cauda obturans, ut scribit S. Augustinus, in ea verba Psalm. LVII. *Sicut aspidis surdæ.* Ita qui hoc donum habet, aut audit incantatores illos, qui ad malum provocant et laqueos parant; sed cauda, hoc est, consideratione exitus et finis sese armat contra eos, juxta id: *Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.* Serpens ut caput tueatur, membra objicit ictibus, caput involvit: idem dicat hæc scientia, animam præferendam corpori, cælestia terrenis, virtutem scientiis, honoribus et opibus, honestumque utili et jucundo.

III. *Columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum consilii, quo sancti omnes, qui fuerunt pulli, id est, imitatores diaboli, doctrina nutriunt et exemplo.* Consilium hoc facit, ut non solum se, suasque actiones regere, honeste et christiane possit homo, verum etiam ut alios quoque, iisque bene consulere. Sunt plerique instar anserum. Hi enim alienis ovis, etiam anserum non incubant, sed suis tantum, unde eorum ova signanda sunt, auctore Pierio, l. XXIV. hierogl. ita inquam plerique se, et suos tantum liberos vel propinquos curant, consilio et instructione fovunt; alienos negligunt, quia scilicet opus magni laboris est alios Christo parere et moribus efformare, quemadmodum et partus mulieri maximum adfert dolorem. Ergo donum hoc consilii incitat et impellit nos, ut etiam de alienis solliciti simus, bene eis consulendo. Quo dono imprimis præditi fuere apostoli, qui Judæos et gentiles diabolica servitute pressos, Christi fide imbuerunt, adeoque genuerunt sudore et sanguine suo. Inter quos S. Paulus Galatas prius Christo a se genitos, postea ad Judæismum relapsos denuo parere debuit, ut testatur ad Galat. IV. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Scimus quo labore S. Joannes pepererit adolescentem quoque seductum, et in latrocinia lapsum reduxit ad frugem, uti alibi diximus. De S. Monica matre sua scribit S. Augustinus, l. IX. conf. c. IX. «*Nutrierat filios toties eos pariens, quoties abs te (Deus) deviare cernebat. Postremo nobis, Domine, omnibus,*

qui ante dormitionem ejus in te consociati vivebamus, ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset.» Eadem vicinas alias mulieres præclaro consilio instruxit, quomodo maritorum iras mitigare et frangere mansuetudine, silentio, dissimulatione, precibus ad Deum fuis possent, ut ibidem scribit August. S. Vincentius Ferrariensis, ordinis Prædicatorum religiosus, nulli hominum ordini vel statui, nulli ætati, nulli sexui negavit fructum doctrinæ et sanctitatis suæ. «*Neque enim dumtaxat ætate provecos, et sublimium rerum atque disciplinarum capaces erudiebat; sed etiam pueros certis ad se horis evocatos instituebat, docens eos quemadmodum cruce se signarent, orationem Dominicam et angelicam salutationem, atque fidei symbolum enuntiarent, Deum colerent, amarent, parentibus et proximis quibusque honorem deberent, et debita officia persolverent. In dandis consiliis, nec divites pauperibus, nec ignobilibus nobilibus anteponebat; sed eras charus omnibus, utilis omnibus, pius, benignus, amabilis denique et venerabilis omnibus.* »

IV. *Columba non lacerat rostro (grana) quod pertinet ad donum intellectus, quo sancti bonas sententias lacerando non pervertunt hæreticorum more.* Ergo qui hoc donum habent, non lacerant, aut mutilant Scripturas fideique dogmata, partem unam credendo, alteram non credendo; nec rimantur curiose, quomodo hoc vel illud Deo possibile sit, sed omnia bona fidesine multa discussione deglutunt, quæcumque ab Ecclesia proponuntur eis credenda. Quod etiam mystice insinuatum est Hebræis, Exod. XII. cum comestur agnum præceptum fuit, ut ossa illius non confringerent. Hæretici nostri Lutherani et Calviniani suis rostris confringunt grana et ossa verbi divini, partim dum integros libros e sacerorum canone amputant; uti Tobiam, Judith, Estherum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, et aliquot capita Danielis, epistolam S. Jacobi, S. Judæ, unam S. Petri, duas S. Joannis, epistolam S. Pauli ad Hebræos, et Apocalypsim; quamvis postea nonnulli ex iis horum aliquos suis locis et auctoritatibus restituere conati sint, partim dum Scripturæ sententias pervertunt, addendo, demendo, mutando, perperam exponendo, ut alibi ostendimus. Denique, sicut cæci non utuntur perspicillis, quia frustra uterentur; ita et hæretici quia oculis fidei divinæ carent, intellectu quoque Scripturarum carent. Ait enim Deus, Isa. VII. *Si non credideritis, non intelligetis.* (ut legit Septuaginta interpr. August. Chrys. Cyprian. alii) Similiter S. Petrus, Joan. VI. *Nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei,* non ait. *Nos cognovimus et credimus, sed*

*Nos credimus et cognovimus.* Audiamus S. Chrysostomum, hom. XXXII. in Joan. «*Sine fide nullam magnarum rerum doctrinam percipere quispiam potest; sed illis similis est, qui sine navi pelagus transmare aggressi, parum profecti, lassatis manibus pedibusque fluctibus continuo obruuntur. Neque aliter qui suis rationibus nitantur ante cognitam veritatem, naufragium faciunt.* » Non ita boni et veri fideles, qui fidei dogmata sibi proposita, mox integra arripiunt.

V. *Columba felle caret, quod pertinet ad donum pietatis, per quam sancti ira irrationabili caret.* Mansueta avis est columba, nullum animal lædit; ne muscam quidem (quod tamen hirundines et passeris faciunt) non unguibus terram vertit ut gallina; fel si habet, in uropygio seu ultima spinæ parte habet. Tales ergo efficit donum pietatis: *Non litigiosos, ut ait apostolus ad Timoth. III. (Græce non pugnaces) sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines: ita ut neminem lædant verbo aut verberare, ne infimum quidem, nullius animum aut possessionem turbent; iram aut omnino non habeant, aut tardissime, aut consideratissime exerant, juxta id ejusdem apostoli ad Rom. XII. Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ.* Hoc dono instructus S. Apollonius abbas cum a Philemone choraula multis afficeretur injuriis, scelestus, seductor appellaretur, respondit: *Miseretur tibi Dominus, fili mi, et nihil horum quæ locutus es, reputet ad peccatum.* Quo dicto Philemon ad Christum se convertit, et una cum Apollonio tandem martyr occubuit, ut habet vita Apollonii, in vitis patrum. S. Spiridion episcopus Tremithuntis in Cypro, vocatus ad Constantium imperatorem venit mendicium fere habitu, baculum manu tenens, vas fictile collo appensum gerens. Itaque in regia quidam ei tamquam homini abjecto, et e loco tali ejiciendo alapam infligit. Tulit id non modo non indigne vir sanctus, sed alteram etiam maxillam porrexit percussori. Quare insolens ille confusus, supplex veniam petiit. Dedit libens Spiridion, et insuper eum paterno instruxit, ut ab injuriis deinceps abstineret, sicque ad imperatorem deductus est, ut in ejus vita. Porro hac pietate armati imprimis esse deberent superiores, dum corrigunt inferiores. His enim ait apost. ad Gal. VI. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Spiritum vocat affectum internum lenitatis, qui est donum Spiritus sancti, inquit D. Chrys. quique inspirare dicitur verbis monitoriis suam lenitatem. Hanc ob causam, opinor, super Ecclesiæ præsules potissimum visæ sunt columbæ cœlitus delapsæ, ut in spiritu lenitatis et